

www.e-rara.ch

Sacrae conciones in centum quinquaginta psalmos Davidis Regis, et aliorum sanctorum prophetarum

Fabricius, Stephanus

Bernae Helvetiorum, 1664

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-15023>

Psalmi CXXVIII. concio I.[-VI.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

immemores, hoc suum officium planè negligunt. Qui quantum malum creent sibi ipsis, liberis & Reipublicæ, quantamque olim vindictam Dei justam incurfuri sint, testantur.

1. Sacræ literæ.
2. Exempla, ut Eli & filiorum ejus, *1. Sam. 4: 18.*
3. Experientia quotidiana.

Faxit Deus, ut pii parentes hac in parte diligentius his corruptis temporibus filiorum salutem invigilent.



P S A L M I C X X V I I I .
C O N C I O I .

Vers. 1. Beatus omnis qui timet Jehovam.

MEMORES estis, dilecti in Christo, sanctum Prophetam præcedenti Psalmo docuisse, Dei benedictione omnia fortunari, non nostro labore, aut curâ: tum in Oeconomia, tum in Politia, & in specie, quod ad prolis generationem.

Unde nunc colligere promptum est, quàm optimo ordine præfens hic Psalmus præcedenti subjungatur. Quippe in quo docet, quibus contingat illa benedictio, & in quibus consistat.

Summa est; hanc benedictionem obtingere piis, eamque esse multiplicem.

Psalmi partes duæ:

- I. Quorum sit Dei benedictio, seu ad quos pertineat.
- II. Qualis & quotuplex sit.

Prima pars continetur vers. 1.

Propheta exponens, ad quos Dei benedictio pertineat, in genere affirmat, quemlibet in suo vitæ genere, quodcunque tandem illud sit, felicem & beatum esse, ac placere Deo, si Deum timeat, & in viis ejus ambulet.

DOCTRINA.

Quia Prophetæ præcipuè propositum est hoc Psalmo docere omnes homines, verè pios manere omnimodam benedictionem Dei: idè ante omnia veræ pietatis descriptionem præmittere voluit, quam nunc porro considerabimus.

Est igitur vera *pietas*, virtus animis nostris à Deo per Spiritum Sanctum indita seu infusa, quâ religiosi & pii effecti, Deum rectè agniti filialiter timeamus, & ex illo timore, in viis ejus ambulamus, adeoque eum rectè colimus.

Ex qua pietatis descriptione patet, ad eandem, ut vera sit, requiritur

- I. Veram Dei agnitionem.
- II. Eiusdem timorem filialem.
- III. Viarum ejus observationem.

Quod ad *primam pietatis partem*, nempe agnitionem Dei veram; est illa virtus, per quam non modò concipimus esse aliquem Deum, sed etiam tenemus, quod de eo scire nostra interest, ut eum rectè colamus.

Ejus causa efficiens princeps est ipse Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, *Joh. 6: 45. Matth. 11: 27. 1. Cor. 2: 11. 12. Matth. 16: 17.*

Utitur autem Deus ad illam in nobis efficiendam duplici libro, naturæ & gratiæ.

Liber natura est geminus; internus & externus.

Internus est conscientia nostra. Omnium enim hominum mentibus notitia Dei naturaliter est inscripta, *Rom. 1: 19.* Ac proinde unumquemque conscientia sua propria docet & convincit, esse Deum, & esse sapientem, justum, bonum, beneficium, potentem, boni amantem, vindicem scelerum.

Externus naturæ liber est fabrica mundi, exhibens Dei opera in natura, cujusmodi sunt, cælum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt & fiunt vel secundum, vel præter ordinarium naturæ cursum, in quibus homines veluti legunt, & ex quibus colligunt, esse Deum, & qualis sit, *Rom. 1: 20. Psalm. 8: 4. & 19: 1.*

Exempla, *Dan. 2: 47. & 6: 27. 28.*

Quò etiam pertinent beneficia & judicia, quibus homines perducuntur ad Deum agnoscendum: exemplo Nebucadnezaris, *Dan. 4: 25. 26. & 5: 21.*

Liber gratiæ itidem duplex est: internus & externus.

Internus liber gratiæ, est Scriptura non attramento, sed Spiritu Dei vivi in carneis tabulis cordis inscripta, *Jerem. 31: 33. 34. 2. Cor. 3: 3. Heb. 8: 10. 11. & 10: 16.*

Externus, est Scriptura Prophetica & Apostolica, continens legem & Evangelium.

Alterâ pietatis pars, timor filialis, est virtus, dum ad verbum Dei, trementes ex fide subigimur in obsequium Dei, & timeamus ut summum malum, ne Deum tam bonum, tam beneficium Patrem, peccatis offendamus; sed ea sedulo fugiamus, non tantum formidine pœnæ, sed multò magis amore in Deum impulsî.

Consistit in tribus potissimum rebus.

1. Ut Deum semper omnia nostra intuentem nobis ante oculos proponamus.
2. Ut eum nostrarum cogitationum, dictorum, factorumque omnium testem & vindicem agnoscamus, ac revereamur.
3. Ne quicquam sit, quod magis metueamus, quàm ne Deum benefactorem nostrum offendamus, & iram atque judicium ejus adversus nos irriteremus.

Ex his duabus pietatis partibus tandem etiam *tertia* nascitur, nimirum; ut *in viis ejus ambulemus*, adeoque eum rectè colamus, cultu tum interno, tum externo, &c.

U S U S.

I. Institutio.

Ut his omnibus studeamus, videlicet tum

1. Veræ Dei agnitioni, &c.
2. Timori ejusdem, &c.

3. Observationi quoque viarum ejus: Si modò verè pii haberi volumus.

Moveamur autem ad assiduum pietatis cultum; quia est summè necessaria & utilis, tum unicuique homini pro se, tum in tota societate humana, sive Magistratum, sive subditos communiter spectes: tum peculialiter in Magistratu & ministris Ecclesiæ, *1. Tim. 4: 8. Exod. 23: 25. 26. Psalm. 1: 1. Matth. 6: 33.*

Contemptus è contrario valdè noxius, *Rom. 1: 21. 22. 23.*

II. Redargutio eorum, qui veram pietatem jaçant, & se pro verè piis venditant; cum tamen horum nihil præstent, sed ex diametro contraria in eis appareant.



P S A L M I CXXVIII.

CONCIO II.

Vers. 1. Beatus omnis qui timet Jehovam: qui ambulat in viis ejus.

NUPER audivimus, S. Prophetam nos hoc Psalmo docere.

I. Ad quos pertineat, seu quorum sit benedictio divina, sine qua nihil salutare, sicut in præcedenti Psalmo docuerat, &c.

II. Quotuplex sit benedictio illa, seu in quibus consistat.

*Præ*ius continetur versu 1. de quo nuper. Summa est, pios omnes, cujuscunque sint status & conditionis, manere hanc Dei benedictionem. Ne quis autem seipsum decipiat, simul pios describit ab aliquot infallibilibus notis. Videlicet,

I. Ab adjuncto Dei timore, filiali nempe.

II. Ex effectis, qui ex hoc Dei timore consequuntur.

Quòd videlicet pii, Deum timentes, *ambulent in viis ejus.*

Nempe in viis à Deo in lege præscriptis.

Unde nuper didicimus: Quænam sit vera pietas, & in quibus potissimum consistat? Quæ ad eam requirantur? Nunc autem porrò

DISCENDUM.

Quàm præclarum sit bonum pietas, quàmque omnibus sui studiosis utilis? Quippe quam Deus certò remunerat benedictionibus, tum corporalibus, tum spiritualibus. Quemadmodum testatur nobis Spiritus S. & confirmat

I. Expressis testimoniis, quòd pertinet

1. Imprimis præfens Prophetæ, affirmantis, *beatum esse quemq;* Deitimentem, & ambulantem in viis ejus. h. e. à Deo talem benedici & beari omni benedictionum genere.

2. Alia complura: *Exod. 23: 22. 25. Levit. 26: 3. seq. Deut. 7: 9. seq. & 28: 1. seq. & 30: 9. 10. Psal. 84: 12. & 112: 1. seq. Matth. 6: 33.* Hinc illud Apostoli, *1. Tim. 4: 8.*

II. Exemplis piorum ab initio mundi:

Patriarcharum; Abelis, Enochi, Noachi, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi.

Mosis, Josuæ, Samuelis, Davidis, Josaphati, Ezechiae, Josiæ. Quorum omnium vide historias.

Summa, ne unus quidem ex omnibus piis ordine consideratis occurreret, cui Deus non benedixisset.

Object. At inquiet aliquis: Si pietatem ita remuneratur Deus, cur igitur pii omnibus temporibus tanta tamque dira duraque passi sunt, & indices adhuc patiuntur?

Cur Abel occisus? Cur Noachi anima excruciatà à primo mundo impio? Cur Abrahamus, Isaacus, Jacobus, fame multisque aliis diris & duris calamitatibus pressi? Cur Joseph fratrum insidiis & injuriis expositus? Cur innocens vitæ periculum subit? Cur parum absuit, quin Moses lapidatus fuerit ab Israëlitis? Cur Josua magnam populi cladem vidit? Cur Samuel rejectus ab iis, quibus tamen adeò fideliter præfuerat? Sic de aliis.

Resp. Deum quidem non rarò exercere suos vana cruce & calamitatibus: sed facere id tum

I. Propter seipsum, h. e. ad gloriam suam.

II. Propter ipsos pios, ad ipsorum tum casti-

gationem, tum probationem in fide, obsequii, &c. Non ergo pugnant, Deum iis retribuere præmia pietatis, & tamen interim eisdem exercere cruce & calamitatibus.

U S U S.

I. Sit hæc doctrina stimulus pietatis. Cupimus omnes benedici nobis à Deo, omni genere benedictionum, corporalium & spiritualium. Ecce tibi medium & optimam viam illud consequendi. Declara ex superioribus, quæ dicta sunt ad thesaurum illustrandam & confirmandam.

II. Correctio eorum, qui omne pietatis studium vanum & inutile existimantes, sese totos impietati mancipiant, *Mal. 3: 14. 15.* Vide ibidem ipsius Dei responsum, *Mal. 3: 16. seq.*



P S A L M I CXXIX.

CONCIO III.

Vers. 2. Laborem manuum tuarum manducabis: beatus es, & bene tibi erit.



ACTENUS primam Psalms partem vidimus, quæ docuit Prophetæ: Quorum propriè sit Dei benedictio, sine qua nihil salutare in omnibus ordinibus: nempe piorum, quos describit

I. Ab adjuncto Dei timore.

II. Ex effectu, ab hoc Dei timore promanante: quòd nimirum pii ambulant in viis Domini. Ex qua prima parte didicimus:

I. Quid vera pietas sit, & in quibus consistat?

II. Quantum sit illa bonum, quàmque utilis omnibus sui studiosis?

Nunc altera pars Psalms consideranda succedit: Qualis nimirum & quotuplex sit illa benedictio divina piis præparata?

Propheta duplicem proponit: nempe tum

I. Corporalem:

II. Spiritualem.

Corporalem benedictionem præcipuè ponit in œconomia, ejusque duas statuit partes:

I. Victum honestis vocationis laboribus partu.

II. Felix & fecundum conjugium

De priore corporalis benedictionis parte præfenti concione, quam his verbis proponit Prophetæ, *vers. 2.*

Per Apostrophon Prophetæ se ad ipsum pium convertit, eumque alloquitur; dicens: *Laborem manuum, &c.*

Q. d. Docendo ex instinctu Spiritus Sancti testatus sum, omnem pium, cujuscunque tandem sit status & conditionis, modò timeat Deum, & in viis ejus ambulet, beatum fore, h. e. omnimodam Dei benedictionem consecuturum.

Nunc autem tibi pietatis studioso monstrabo, in quo beatus futurus sis, & qualem Deus tibi benedictionem collaturus sit?

Nempe; quòd Deus ita benedicturus est laboribus vocationis tuæ, ut inde honestè vivas, & te sustentens.

Atque sic beatus eris, placebis Deo, cujus mandatis obtemperas, faciens opera vocationis: *Bene tibi erit;* Non tantum suppeter victus necessarius, pro te & familia alenda, sed etiam, ut supersit aliquid, quod ad posteros reponas.

DOCTRINA.

Sanctam Dei ordinationem & institutum esse, ut quilibet in certa aliqua vocatione laboribus vocationis suae victum sibi pareat.

Confirmatio.

I. Ab expressis S.S. testimoniis, nempe Præsentis Prophetæ: ubi observatum modum loquendi: Laborem manuum comedes; tum quod inter benedictiones Dei hoc refert.

Aliis, *Gen. 3: 19. Prov. 31: 13. Exod. 20: 9. 1. Thes. 4: 11.*

II. A distinctione vocationum, quâ alius vocatus est

Ad SS. Ministerium obeundum.

Ad Rempubicam gerendam & regendam.

Ad mechanicas artes exercendas.

Ad agriculturam, &c.

Ad mercaturam exercendam.

Ad servitum & quosvis serviles labores perferendos.

In quibus singulis vocationibus cuivis mandatur diligentia indefessa, sedulitas assidua, fidelitas pia. Idque

I. In genere, *Eccl. 9: 10. Rom. 12: 7. 11.*

II. In specie, quod ad

1. Ministros verbi, *Rom. 12: 8. 1. Cor. 4: 1. 2.*

2. *Tim. 2: 15.*

2. Reipublicæ gubernatores, *Jos. 1: 6. 7.*

3. Mechanicos, *Sir. 38: 28.*

4. Agricolas, *Psalm. 104: 22. 23. Sir. 7: 14. Prov. 24: 27.*

5. Mercatores.

6. Servos, *Eph. 6: 5. 1. Tim. 6: 1. seq. Tit. 2: 9. 1. Petr. 2: 18.*

7. Omnes alios in diversis vocationibus.

U S U S.

I. *Pædia & admonitio* multiplex:

1. Ut quilibet suâ vocatione & sorte contentus vivat.

2. Ut quivis suâ vocatione sedulo & fideliter fungatur. Motus & exstimulatus

1. Expressio Dei mandato.

2. Benedictione divinâ. Quæ hinc luculenter exprimitur: *Beatus es*; quo certè multa complectitur Psalter:

Beatus enim

1. Vivit bonâ conscientia;

2. Panem pacis comedit;

3. Nemini serviliter obstringitur;

4. In fide providentiæ Dei alitur;

5. Tentationibus & occasionibus scelerum liberatur;

6. Bonâ ut plurimum valitudine fruitur.

3. Ut iis, qui publicis muneribus funguntur, Ecclesiasticis, vel Politicis, debita stipendia erogentur: siquidem hic labor manuum ipsorum, quo ipsis victitandum.

Cogitandum hinc, quàm æquo jure illis dentur. Declara, ex illorum laboribus.

II. *Correptio*

1. Eorum, qui in suis vocationibus negligentes, desides, ignavi & fraudulenti sunt. Quibus iusta & merita Dei maledictio incumbit. Ut ex supra citatis locis videre est.

2. Eorum, qui spretâ hac à Deo præscriptâ victus regulâ, vel 1. in otio ignavi transigunt vitam.

Vel 2. ad malas artes confugiunt; ut sunt Mordens usura & expilationes:

Furta & rapiarum. Qui ut justum Dei iudicium non effugient: ita etiam Magistratus vindictâ coercendi sunt.

3. Eorum, qui otio vitam mendicando inordinatè traducunt, 2. *Thes. 3: 10. 11. 12.*

Qui & illi in ordinem redigendi autoritate Magistratus: idque mediis

1. Non humanâ sapientiâ excogitatis, Christianâ libertate indignis, ipsique animæ salutis noxiis: quale hodiernum illud, ut ad triremes ablegentur. *Dass sie dem Frankosen aufs Meer verkauft und übergeben werden.*

2. Sed verbo divino atque charitati Christianæ consentaneis.



PSALMI CXXVIII.

CONCIO IV.

Vers. 3. Vxor tua sicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ: filii tui sicut plantule olearum in circuitu mensæ tuæ.



T S. Psalter in priorè Psalms parte docuit, ad quos præcipue benedictio Dei, sine qua nihil homini salutare esse possit, pertineat? Nempe ad pios: Ita in altera parte declarat, qualis & quotuplex sit benedictio illa divina piis præparata? Videlicet corporalis & spiritualis.

Corporalem præcipue ponit in œconomia: eamque facit duplicem, videlicet tum victus honestis vocationis laboribus parti, tum conjugii felicitatis atque fecundi.

De prima corporalis benedictionis parte hesternâ concione actum. Nunc ergo alteram videamus, quam exprimit, *ψ. 3.*

Propheta ergo secundam benedictionis corporalis pios manentis partem in felici & fecundo conjugio statuit, duabusque similitudinibus illustrat:

1. Vitis fructiferæ, quæ latera domus cingit; cui confert uxorem. Sensus est: Sicut vitis fructifera domus tuæ latera cingens, non tantum amœna, sed & utilis est: ita etiam uxor fecunda simul & honestam voluptatem & utilitatem affert.

2. Plantularum olearum, quibus liberos comparat, mensam circumstantes. Cujus similitudinis idem sensus.

DOCTRINA.

Quoniam S. Propheta, dum docet hoc Psalmo, pios benedici præcipue à Deo, benedictione spirituali & corporali, in victu honestis vocationis laboribus parto, & felici ac fecundo conjugio:

Simul egrégium epithalamium canit, omnibus piis, tum jam in conjugio viventibus, tum recens hunc ordinem ingredientibus; tum demum ingressuris suo tempore; ideò & nos hac occasione, ad nostram ædificationem, capita quædam doctrinalia de conjugio expendemus:

I. Quis author conjugii?

II. Quibus institutum?

III. Qui fines instituti conjugii?

IV. Quæ causa efficiens felicitatis conjugii?

I.

Deum ipsum authorem conjugii esse, multis firmissimis S.S. testimoniis constat.

Ante

Ante omnia hoc innuit Propheta noster, felix & fecundum conjugium inter benedictiones Dei referens, &c.

Sed idem asserit Scriptura passim alibi. Diligentius excute primam primi conjugii institutionem, *Gen. 2:10. seq.*

Sic post diluvium conjugium, Deus confirmavit, eique benedixit. *Gen. 9:1.*

Huc facit, quod ipse Dei Filius, cum non nihil collapsum esset conjugium, ipsum restauravit, atque suâ præsentia miraculosoque munere cohonestavit, *Matth. 19:4. seq. Job. 2:1. seq.*

Denique ut Deus omnis boni ordinis author: ita etiam conjugii.

U s u s.

I. Conjugium esse rem bonam, sanctam, statumque Deo placentem. Certum enim est, nihil nisi sanctum & bonum manare posse à sanctitatis & bonitatis fonte, Deo.

Quam conjugii sanctitatem amplius etiam colligere promptum est, ex circumstantiis instituti conjugii.

1. In Paradiso enim sanctissimo loco initium coepit conjugium.

2. Ante lapsum primorum parentum institutum.

3. Ipse Deus sancto sponso, sanctam copulavit sponfam, & copulatis benedixit, tanquam suæ sanctissimæ institutioni & ordinationi.

4. Neque hæc benedictio ad personas illas solummodo, quæ tum præsentibus aderant, referenda est, verum ad ipsam Dei ordinationem in omnes posteros Adæ.

Tametsi autem postea astu Satanae subintravit peccatum in mundum, quo homines omnes naturâ polluti sunt: tamen sanctitas conjugii, ut ordinationis Dei, perpetua est. Peccatum quidem polluit contrahentes, ordinationem tamen Dei non vitiat. Quod etiam illud Apostoli, *Hebr. 13:4.*

Quod diligentius considerandum, tum

1. Propter pios vel conjugium ingredienti, vel in eo jam viventes, ut certi sint, se in sancto statu vivere.

2. Propter hæreticos, sanctæ Dei ordinationi blasphemè detrahentes: ut Tatianus cum sectatoribus. In quorum censum veniunt etiam Pontificii, qui tametsi conjugium ipsum non videntur damnare: (nam illud titulo Sacramenti ornant) tamen cum usum conjugii conjunctum esse cum peccato fabulantur, re ipsa cum Encratitis sentiunt.

II. Conjugia non esse fortuita, nec tantum ex hominum arbitrio pendere; sed regi singulari Dei providentiâ. Ut videre est, *Prov. 19:14. Matth. 19:6.* Huc etiam faciunt conjugium exempla, *Gen. 24:14. 50. 51.*

III. Conjugia in Dei timore, & assidua invocatione non tantum suscipienda & auspicanda, sed etiam continuanda & consummanda.

Quæ omnia per correptionem severius applicanda iis, qui hanc sanctam Dei ordinationem vitii suis conspurcant & contaminant.

II.

Conjugium institutum esse omnibus omnium ordinum hominibus, modò adsint conditiones & requisita necessaria, rursus constat ex infallibili verbi divini veritate.

Diligenter autem hic attendendum, certas requiri conditiones: utpote

I. Ut aptæ sint personæ contrahentes, ratione ætatis & donorum ad œconomiam necessarium.

II. Ut vel sui juris sint, vel sub aliorum potestate constituti, eorundem consensum habeant. Rationes:

I. A S. Scr. testimoniis, *Eph. 6:1. Col. 3:20.* Ergo & in matrimonii negotio, *Num. 30:6.* Votum sibi à liberis nuncupatum insciis & invictis parentibus, ratum non habebat Deus: multò minus matrimonium contractum à liberis absque consensu parentum.

Et Scriptura tradit præcepta parentibus de liberis in matrimonio collocandis, *Deut. 7:3. Jer. 29:6. 1. Cor. 7:13.*

II. Ab exemplis, primorum parentum, quos Pater cœlestis conjunxit.

Abrahami, Isaaci, Jacobi, Ismaëlis, ferocis alioquin, & Sichemi gentilis. Exemplum contrarium in Esavo & ejus effectum, *Gen. 26:34. & 28:6.9.*

Salvis autem his conditionibus, conjugium licitum esse omnibus hominibus constat:

1. Ex præsentibus Prophetæ verbis, qui alioquitur indifferenter omnes pios, &c.

2. Ex aliis compluribus S. Scripturæ testimoniis, *Hebr. 13:4. 1. Cor. 7:2.*

U s u s.

I. Tranquillitas & securitas conscientia omnium eorum, qui huic ordini sese vel jam consecrarunt, vel adhuc consecrare animum induxerunt.

II. Pontificiorum, certum hominum genus, nempe Ecclesiasticos à conjugio prohibentium. Quale autem Spiritus S. de tali doctrina ferat judicium, videre est, *1. Tim. 4:1. seq.*

At inquiet aliquis: Quid opus est prolixâ confutatione, cum tamen nullus nostrum putidum ipsorum dogma approbet?

Resp. Non eò dicuntur ista, sed ut videamus & animadvertamus notam Antichristi, adeoque

1. Grati sumus Deo, ab illius jugo exempti.
2. Alios eadem libertate nobiscum gaudentes, in eadem tueamur, quantum jure tenemur.



PSALMI CXXVIII.

CONCIO V.

Verf. 3. Uxor tua, sicut vitis fructifera, &c.

4. Ecce cerè sic benedicetur vir timens Jehovaham.



Methodo, dispositione & sensu horum verborum constat satis superque ex proxima concione: unde paucis reperantur.

Ex illorum occasione & fundamento hæc quatuor doctrinalia capita de conjugio tractanda suscepimus.

I. Quis conjugii Author?

II. Quibus institutum?

III. Qui fines instituti conjugii?

IV. Quæ in specie causæ efficientes conjugii auspiciati?

Duobus primis capitibus proximè excussis, restant duo reliqua.

Fines igitur instituti à Deo conjugii quod attinet, patent illi ex præsentibus Prophetæ & aliis S. Scripturæ locis.

Pro-

Propheta noster inquit: *Uxor tua*. Sic in creatione Evæ, *Gen. 2: 18*. Et in prima conjugii institutione, *Gen. 2: 23. 24*.

Item in confirmata institutione post diluvium, *Gen. 9: 1*.

Et in restaurata institutione per Christum, *Matth. 19: 4*.

Huc etiam refer illud Apostoli, *1. Cor. 7: 2*.

Ex his testimoniis sive junctim, sive sigillatim consideratis, duplex, finis instituti conjugii emergit. Quorum

I. Ipsum Deum conjugii authorem respicit:

II. Ipsos conjuges spectat.

Finis conjugii ipsum Deum respiciens, est tum

In genere, totius generis humani propagatio & conservatio, Gen. 1: 29. & 9: 1. Ut enim Deus omnes alias creaturas à prima origine, suâ providentiâ & gubernatione conservat: ita etiam ad humani generis conservationem conjugium ordinavit.

In specie: Ecclesiæ collectio, plantatio & conservatio.

Adeoque summus finis conjugii est ipsa Dei authoris gloria, ut conjuges eum, qui ipsos conjunxit, simul discant agnoscere, colere, timere, celebrare.

U s u s.

Hujus ergo finis omnes pii conjuges semper meminerint, adeoque unâ Deum laudent, celebrent, prædicent, de ejus operibus & providentiâ colloquia misceant, simul Deum invocent, & se invicem hortentur ad timorem Dei.

Finis autem conjugii ipsos conjuges spectans est duplex potissimum:

I. Ut sibi invicem sint mutuam adjutorium, *Gen. 2: 18*.

Quod adjutorium multa complectitur.

1. Ut consuetudine junctâ cohabitent, & pacificè unâ vivant, ne scandalo sint aliis, neve vita eorum sit cum tristitia, aut extranea solatia quærere cogantur, unde infamiam facillè possint incurtere, *1. Cor. 7: 15*.

2. Ut alter alteri debitam benèvolentiam reddat, *1. Cor. 7: 3. 4. 5*.

3. Ut bona habeant communia.

4. Ut in rebus secundis unâ lætentur & sibi gratulentur, vicissim in rebus adversis *συμπάσαν* mutuam declarent.

5. Ut *ἐπιμενία* erga se invicem utantur in tollerandis defectibus, cum studio sanandi eos.

6. Ut conjugum alter alteri author sit monitis & exemplo, ad veram pietatem & virtutem, *1. Cor. 7: 16. 1. Petr. 3: 1. 7*.

7. Ut alter alterius vitam tueatur & conservet: exemplo Michol & Abigail.

8. Ut mutuam operam præstent in educandis liberis, & administranda tota familia, eodem animo respicientes Dei gloriam, non mundi vanitatem.

II. Ut conjugium sit remedium adversus omnes vagas libidines, *1. Cor. 7: 2*.

U s u s.

I. In hos ergo fines semper intenti conjuges, secundum illorum normam, omnem suam vitam instituunt. Illustra argumentis exhortationis.

II. Præter hos autem fines, in quos nunquam non collimare debent, uterq; conjugum propriorum etiam officiorum meminerit.

Maritus quidem erga uxorem, ut

I. Uxorem instituat in veri Dei cultu, *Deut. 11: 19*.

Sic caput uxoris, ad præstandam ei protectionem sic ut eam foveat, tanquam carnem suam, & amabiliter atq; etiam cum quodam honore & honesto respectu, non tyrannicè habeat. Amarulentum enim in uxorem virum esse vetat Paulus, *Col. 3: 19*. nedum sævum aut truculentum; nec tractet ut servam, sed ut vitæ sociam, & veluti collaterallem, thori sociam, atque domus secum dominam, *Gen. 29: 10. 12. Gal. 4: 22*.

Quod etiam ad correctionem transferendum. Ut enim Eva non ex Adami capite, ita nec de pedibus, sed ex ejus costa formata est.

II. Uxori & familiæ, justè vocationi incumbendo, de necessariis prospiciat; afflictæ uxori commiserando & consolando adsit, adeoque parem oneris conjugalis in se derivet, & rationem habeat uxoris, tanquam infirmioris vasculi, *1. Petr. 3: 7*. Accommoda simile vitis, quo utitur Propheta.

Uxor verò erga maritum, ut

I. Marito proprio subjecta sit, *1. Cor. 14: 34. Eph. 5: 22. Col. 3: 18. 1. Petr. 3: 1*. Hæc autem uxoris subjectio complectitur,

1. Amorem erga maritum, *Ruth. 1: 8*.

2. Reverentiam erga eundem, *Gen. 24: 64. 65. Eph. 5: 33*.

3. Obedientiam, quâ paret imperio ejus, *1. Petr. 3: 5*.

4. Societatem in rectè colendo Deo, ad quam à marito, seu monitis, seu exemplo invitatur, aut etiam ad quam ipsa maritum exemplo suo adduxit, *1. Petr. 3: 1*.

5. Adjumentum, quod marito præstare tenetur, in liberis rectè educandis, in paranda & conservanda re familiari, in levandis viri curis, afflictionibus, morbis, in tuenda vita ejus, *Gen. 2: 18. Prov. 31: 10. seq. Exempla, Gen. 31: 14. seq. 1. Sam. 19: 11. & 25: 18. seq.*

II. Casta pudica, verecunda, taciturna, pia & prudens sit, non luxui dedita, *Gen. 20: 16. 1. Petr. 3: 2. seq.*

III. Domi se contineat ad familiam regendam, non divagetur, *Prov. 31: 13. seq.* Applicata simile vitis, quod affert Propheta.

Atque sic quoque excusso tertio doctrinali capite: Quartum breviter percurrendum est, videlicet,

Quæ in specie causa efficiens felicitis & fœcundi conjugii?

Declarat id Propheta *Ps. 4. Ecce sic benedicitur, &c.* Tribuit ergo hoc totum

1. Ipsi Deo, sic *Prov. 19: 14. Sir. 26: 30*

2. Pietati, *Sirac. 26: 30*.

At objiciet aliquis:

I. Impiis quoque non rarè ejusmodi benedictionem contingere.

Resp. Verum quidem id; sed fieri hoc sciamus:

1. Ut ostendat Deus divitias bonitatis suæ, dum solem suum oriri iis etiam facit.

2. Ut ad pœnitentiam invitentur impii, *Rom. 2: 4*.

3. Ut pii agnoscant, non principaliter à Deo petenda esse bona illa externa, sed æterna potissimum à Deo exspectanda.

II. Sæpissimè etiam piis contrarium evenire, ut complura piorum exempla docent.

Resp. 1. Promissiones omnes bonorum corporali-
lium

lium intelligendas cum exceptione crucis & castigationis.

2. Calamitates conjugii aliter ferre pios, aliter impios.

U S U S.

1. Videmus, unde talis benedictio exspectanda & petenda?

2. Quales nos præstare debeamus, si hujus benedictionis consortes esse cupimus?



P S A L M I CXXVIII.

CONCIO VI.

Vers. 5. Benedicet tibi Jehova à Sion: & videbis bonum Jerosolyma, omnibus diebus vitæ tuæ.

6. Et videbis filios filiorum tuorum: & pacem super Israel.



VENADMODUM S. Propheta in prima hujus Psalmi parte docuit, quorum sit benedictio, in qua omnis felicitas sita; nempe piorum, qui Deum timent, & in viis ejus ambulant:

Ita in altera parte declarat; Qualis & quotuplex sit? Nimirum corporalis & spiritualis.

Corporalis iterum duplex in victu & conjugio. De qua specie benedictionis hætenus.

Supereft spiritualis nunc consideranda, quam exprimit Propheta, *vers. 5. & 6.*

1. Amplius confirmat & amplificat priorem sententiam, dicens: *Benedicet tibi Jehova.* Quasi dicat: Cum affluunt opes in conjugio, & commoda tibi conjux & liberi honesti benè morati contingunt; hæc dona, ut magna sunt & ab omnibus expetuntur; ita scias à Deo, non aliunde, proficisci. Vult ergo adhuc clariùs ostendere, Deum esse authorem illorum bonorum, de quibus antea dixerat, & nunc dicturus est, ne quis fortunæ vel indultriæ suæ quicquam adscribat.

2. Addens, *à Sion*, piis revocat in memoriam fedus, quod Deus cum ipsis pepigerat, qui tunc in Sion colebatur, & ibi præsens erat juxta promissiones. Hic igitur Deus, inquit, qui verbo & federe se nobis pæfecit, qui nunc præsens in Sion adest, atq; à nobis colitur; is author est benedictionum corporaliū & spiritualium, is tibi aderit, te tuosque tuebitur.

3. Ipsam spiritualem benedictionem exprimit: *Et videbis bonum Jerus. omnibus diebus vitæ tuæ.* Quid. Ad bona corporalia accedunt alia majora; faciet enim, ut videas florentem Jerosolymam, hoc est, Ecclesiam, cujus tu membrum es, & cujus salute tua quoq; comprehensa est, ita ut quicquid accidat, miser esse nunquam possis. Potest autem simul ad Rempublicam accommodari.

Quod verò addit: *Omnibus diebus vitæ tuæ*; habet & hoc amplificationem promissionis, quòd videlicet felicitas hæc sit diuturna, non momentanea.

4. Iterum rediens ad benedictionem corporalem, inquit: *Et videbis filios filiorum tuorum.* Sicut ergo antea felicitatem in liberis, piis conjugibus pollicitus erat: ita nunc illam promissionem etiam ad posteros eorum extendit, & parentibus, nepotum mentione, longævitatē pollicetur. Fore

enim dicit, ut non tantum filios ex se natos, sed & nepotes videant.

5. Ne autem videatur de privatis tantum commodis loqui; rursus publicam Ecclesiæ & Reip. salutem attexit, dicens; *Et pacem super Israël*; ut sciamus hæc esse conjuncta, nec privatam felicitatem magnam esse, quam publica calamitas, vel in Ecclesia, vel in Republica perturbat.

DOCTRINA I.

Iterum hic nobis Spiritus Sanctus confirmat: Deum veram pietatem, quæ consistit in timore Dei & viarum ejus observatione, remunerari certò, benedictione tum

Corporali: quæ declaranda tum ex

Præcedentibus, *ψ. 1. 2. 3. 4.*

Præsentibus, & in specie quod ad longævitatē: de qua etiam alibi, *Deut. 4. 40. & 6: 2. & 30: 20.*

Exempla, *Deut. 4: 4. Chaleb, Jos. 14: 10. 11.*

Spirituali: quæ declaranda itidem ex Prophetæ verbis, *ψ. 4.* Videbis bonum Jerusalem, h. e. Ecclesiæ. Quæ qualia & quanta sint bona, recensendum est: Tum quod ad

Ipsū pium privatim.

Totum Ecclesiæ corpus.

Bona illa sunt:

I. Pura verbi divini prædicatio.

II. Bona, quæ per illam nobis conferuntur. Ut

Vocatio efficax.

Fides.

Justificatio.

Adoptio.

Consolatio in quibusvis periculis.

Huc faciunt multi alii S. S. loci: quos vide superius Conc. II. in hunc Psalmum.

U S U S.

Nihil prius, nihil antiquius habeamus studio veræ pietatis, &c. Amplifica ex effectis pietatis, quod ad benedictionem corporale & spiritualement.

Quæ effecta nos omnes unice desideramus: Habemus viam obtinendi.

III.

Pietatem veram tam præclaram esse virtutem, Deoq; adeò gratam, ut non tantum illius cultoribus benedicat, sed etiam ipsorum gratiâ toti Republicæ, regioni & urbi beneficiat. Confirmatur

I. Ex S. Scripturæ testimoniis: nempe tum præfenti Prophetæ, tum aliis.

II. Ab exemplis:

Piorum, qui Sodomæ futuri fuissent, *Gen. 18: 23. & seq.*

Lothi, propter quem vindicta Dei diu dilata, *Gen. 19: 22.*

Jacobi, propter quem Deus benedixit Labani, *Gen. 30: 27.*

Josephi, cujus causâ toti regno Ægyptio benefecit, *Gen. 41: 54.*

Abigaëlis, propter quam tota Nabalis domus & familia ab interitu servata, *1. Sam. 25: 34.*

Pauli Apostoli, cujus gratiâ in vita 276. animæ conservantur, *Act. 27: 24.*

U S U S.

1. Rursum hinc exstimulemur ad ardens pietatis studium. Quis est inter omnes pios, qui non unice cupiat non tantum sibi ipsi, sed toti Ecclesiæ, toti Republicæ, omnibusque & singulis membris benè esse?

Quid jucundius, quid amabilius, quàm totius Ecclesiæ & Republicæ florentem statum videre:

Atqui

Atqui videmus, quid nobis faciendum, ut illud obtineamus. Ne ergo nostro officio desimus; siquidem nihil nobis tantopere cordi & curæ esse debet, quàm totius Ecclesiæ, Reipub. & patriæ salus.

2. Consortio piorum maximè delectemur semper, &c.



PSALMI CXXIX.

CONCIO I.

Vers. 1. Sape afflixerunt me à juventute mea; dicat nunc Israël.

2. *Sape afflixerunt me à juventute mea: nec tamen prævaluerunt mihi.*

3. *Supra dorsum meum araverunt aratores: protraxerunt sulcos suos.*

4. *Jehova justus truncavit funes impiorum.*

PSALMUS est Didascalico-consolatorius, concriptus in gravi aliqua calamitate & periculo populi Israëliti: in quo ne frangeretur animus plebis, aut desperaret de salute, Propheta dulcissimam consolationem, sumptam à perpetua Ecclesiæ tutela, & ab interitu atq; pœnis hostium, proponit, eaq; animos piorum corroborat.

Si quid autem conjicere licet; Psalmus compositus videtur, post reditum ab exilio, & cum populus à suis vicinis multas acerbas injurias perpessus, tandem sub tyrannide Antiochi propemodum defecit.

In illa igitur turbida caligine, Propheta fideles ad fortitudinem animi, nec paucos solum, sed totum corpus animat: jubetque ad sustinendos tam dueros insultus hunc bonæ spei clypeum opponere, Ecclesiam Dei patiendò semper stetitisse victricem. Partes duæ sunt:

I. *Narratio*; querulosa quidem, attamen etiam consolatione permixta, quâ Propheta recenset, Ecclesiam, gravissimè ab hostibus oppressam, à Deo liberatam esse.

II. *Predictio* de funesto adversariorum Ecclesiæ casu, adeoque justa Dei in illos vindicta.

Prior pars hæc est: *Sape afflixerunt me, versu 1. 2. 3. & 4.*

Propheta exponit, tum populi Dei calamitates, & varias persecutiones, tum ejus liberationem.

Quod ad *calamitates*; proponit eas,

1. Absolutè & verbis simplicibus: *Sape afflixerunt me, &c.* Prophetam loqui in persona populi Israëliti patet ex verbis sequentibus per parenthesis appositis; *Dicat nunc Israël.* Hortatur igitur populum ad persecutionem impiorum erga pios enarrandam, & Deo conquerendam, verboque quodammodo præit.

Sape afflixerunt me. Notatur crebritas afflictionum, angustiarum, & persecutionum, & innuitur non unum duntaxat fuisse periculum.

A juventute mea, id est, à primis exordiis, seu prima origine, quando Abraham divinitus electus est in patrem multarum gentium. Vel etiam, quando primùm condita est Ecclesia verbo promissionis, atque ita denuò nata.

2. Comparatè per allegoriam metaphoricam, & 3. Comparat igitur injurias arationi, & undique in terra ductis sulcis; ut significet, neminem

ab injuria, & quidem gravissima fuisse immunem. Aratio enim terram quasi vulnerat & deformat: & dorsi mentione, significat triste onus communium miseriarum, singulis ferendum fuisse impositum.

Ecclesiæ itaque crucem & calamitates amplificat tribus modis:

1. A varietate & multitudine: multum & sæpe afflixerunt me.

2. A duratione: à juventute mea.

3. A crudelitate hostium, per similitudinem arationis, &c.

Liberationem verò quod concernit,

1. Inquit: *Attamen non prævaluerunt mihi,* id est, non potuerunt Dei populum opprimere, aut perfundare.

2. Sed *Jehova justus, truncavit funes improborum.* Quibus verbis prioris quasi causam reddit, ac si diceret: Ideò hostes non prævaluerunt, quia Dominus funes ipsorum abscondit, & conatus ipsorum abruptit; atque ita Ecclesiam à tristi tyrannide, & servitutis jugo, liberavit.

Perstitit autem Propheta in metaphora instituta. Quia enim aratri mentionem fecerat, eò alludens, dicit, funes hostium, qui scilicet alligantur ad colla boum, præcidi. Interea verò per *funes* significat omnia hostium consilia, omnes machinas & conatus, ac ostendit, fuisse eos ab omnibus rebus ad inferendam injuriam paratissimos & instructissimos, atque adeò jam manum admovisse operi, Deum autem præter omnium spem elusisse & irritos conatus ipsorum reddidisse, non aliter ac si bobus arantibus funes conscinderentur, atq; hoc pacto arationis opus impediretur.

DOCTRINA.

Hic nobis quasi ad vivum depicta est, & in speculo contemplanda proponitur, Ecclesiæ Dei in hoc mundo militantis conditio & status:

Quòd nimirum, ut plurimum quidem & perpetuò quasi, ab improbis afflictà, cruci & ærumnis variis prematur: attamen nunquam penitus opprimatur, sed divinitus servetur.

Quòd verò Ecclesiæ fors sit; afflictionibus improborum exerceri, patet

I. *Experientià & exemplis*; utpote

1. Præsenti populi Israëliti: quod amplificandum, & declarandum tum

Ex præsentibus Prophetæ verbis.

Ex diligenti totius temporis consideratione:

1. Ab ipso Abrahamo. 2. A servitute Ægyptiaca, &c. 3. A peregrinatione in deserto per quadraginta annos. 4. Ab occupatione terræ Canaan. 5. A temporibus Judicum. 6. Regum. 7. A transportatione in Babylonem. 8. A reditu ab exilio usque ad tempora Christi.

2. Ecclesiæ primitivæ Christi.

3. Ecclesiæ Christi sub Rom. Imperatoribus impiis.

4. Ecclesiæ nostri seculi ad hodiernum usque diem.

II. *Expressis S. Scripturæ testimoniis*, quibus Deus talem sortem Ecclesiæ suæ prædixit: *Gen. 3: 15. Job. 15: 18. & seq. & 16: 1. & seq. Apoc. 12: 6. 2. Tim. 3: 12. Act. 14: 22.* Hinc in Psalmis passim querelæ; *Psal. 79. & 80.*

U S U S.

I. *Institutio.*

1. Hanc Ecclesiæ faciem intruentes, eam non ita offendamur, ut de ejus veritate dubitemus.

2. Hujus